quis litteris discere fratribus? Lege uicesimum primum psalmum ubi ex persona Christi dicit
narrabo nomen tuum fratribus meis. in medio ecclesiae laudabo te. Ex fratribus
ergo suis magnus est Ihesus. & his qui prius magni fuerant appellati. & sicut pas
torum pastor est & pontificum pontifex. & dominantium dominus & regum rex. ita
& magnorum magnus est. & ideo addit. ex fratribus suis magnus. Post haec
uero cui inquid infusum est oleum chrismatis super caput eius. istud oleum noli
requirere in terris quod super caput infunditur magni sacerdotis ut fiat Christus.
Sed si uidetur disce a propheta dauid istud oleum quale sit. dilexisti inquid
iusticiam & odisti iniquitatem propterea unxit te deus deus tuus oleo laeticiae
prae consortibus tuis. Istud est ergo oleum laeticiae quod capiti eius infusum fecit
eum Christum. sed addidit adhuc ad laudes eius. qui consumatas inquid habet manus.
Cuinam quaeso hominum hoc conuenit dici. in quo mortalium perfectas inuenire pos
sumus manus. & iam si aaron iste sit cuius mentio fieri uidetur. Quomodo con
sumatas putabitur habuisse manus quibus uitulum fabricauit. quibus idolum
moysi proferret. quomodo consumatas habuisse uidetur manus qui non glorifi
cauit dominum ad aquam contradictionis. Pro quo delicto & iam uita iubetur exce
dere. quod si & alium quem sanctorum memorare uelis. occurrit tibi sermo scrip
turae quae dicit. quia non est homo super terram. qui faciat bonum. & non pec
cet. Merito ergo solus Ihesus consumatas habet manus qui solus peccatum non fe
cit hoc est qui perfecta & integra opera manuum habet. ideo de ipso recte dicitur
qui consumatas habet manus ut induatur sancta. hic enim est qui uere indutus est
sancta non illa quae in typo erant sed ipsa quae uere sancta sunt. Quod si uis audire de ex
celsioribus indumentis eius accipe uerba prophetica. amictus inquid lumine
sicut uestimento. abyssus sicut amictum uestimentum eius. Hic est mei magni pon
tificis habitus quo indicatur profunda scientia & sapientiae luce uestitus.
quae uere sancta sunt indumenta. Non inquid auferet de capite suo cidarim. Iam
& prius diximus cidarim genus esse operimenti quod capiti superpositum
pontifici praestat ornatum. Hic ergo magnus pontifex meus numquam depo
nit sacri capitis ornatum. quid sit autem caput Christi ab apostolo disce qui dicit.
caput autem Christi deus. Merito igitur istud operimentum capitis sui. deus est. qui numquam


© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0523